



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi  
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

**Eyschen, Georg von**

**Coloniæ, 1655**

§. 314. Docentes eos servare omnia quæcunque mandavi vobis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45515**

doceri & ministrari in salutem animarum per te redemptarum: rogo itaque da mihi & omnibus Christi fidelibus illam gratiam, ut per hoc Sacramentum sicut ianua nobis fuit ad Ecclesiam militantem, ita sit porta ad triumphantem.

§. 313. *In nomine patris & filij & spiritus sancti.*

Monstratis subiectis circa quæ hujus Sacramenti vis exercenda est nempe homines sive iudæi sive gentes, monstrat & formam & materiam dicendo: Baptizantes eos in nomine patris & filij & spiritus sancti subinvocatione scilicet & expressione sanctissimæ Trinitatis lavando: eo sine ut sancta Trinitas per Baptizatos cognoscatur & credatur & adoretur, Deus unus in essentia, Trinus in Personis, pater à nullo, filius à patre, spiritus sanctus ab utroque procedens, basis & fundamentum fidei Catholicæ.

**D**omine credo patrem, & filium & spiritum sanctum, in quorū nomine ego baptizatus sum, & omnia credo juxta sensum & interpretationem sanctæ Matris Ecclesiæ, & in eo sensu mori cupio, da gratiam ut sic credendo percipere merear fructum fidei, qui est visio beatissima æternæ Trinitatis in cælis.

§. 314. *Docentes eos servare omnia quæcunque mandavi vobis.*

Postquam scilicet baptizati fuerint, & per consequens ad Ecclesiam Dei admissi, docebitis eos mandata mea, quæcunque, & servare præcepta mea sive erga Deum, sive proximum, ut salvi fiant, non enim satis est esse baptizatum & filium sanctæ Matris Ecclesiæ, sed oportet in ea ut decet filium tam sanctæ Matris laborare quoque, quod est declinare à malo & facere bonum continue in uno errantes, fiant omnium rei, & bona æterna ipsi præparata æternum perdant, non enim auditores salvabit solum, sed factores fidei & Legis Christianæ.

**D**omine Deus quot prò dolor sunt in mundo ordinati ad docendum & non docent servare præcepta tua, cum ipsi minus observent, aut si aliqua faciunt, alia negligunt, quid dicam, fateor & meam culpam, etiam in me cadit illa reprehensio: Quid igitur faciam reus? desperabo? Non dicamne cum Cain maiora sunt peccata mea quam ut gratiam adipiscar: absit à me: sed dicam miserere, miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam, & secundum multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam: miserere, miserere populo tuo quem redemisti Christe sanguine tuo, ne in æternum irascaris nobis.

§. 315. *Et Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus.*

O consolatio, spes naufragantium, laborantium fortitudo, ô Conclusio admiranda! Et Ecce ego vobiscum sum, in laboribus vestris, in doctrina